



Nf. 27.



30<sup>50.</sup>

De

# CAUSA DE- MONSTRA- TIVA

Disputabit publice

Sub PRÆSIDIO

CHRISTIANI DONATI,  
Log. & Met. Prof. Publ.

RESPONDENS

AUGUSTUS WOLFIUS,  
Lcebejunâ-Saxo.

*In Auditorio Majori,*

*ad.*

*Ad D. 8. Junii A. Ær. clc LXXXIX.*

Horis, locoque consvetis.

---

VITEMBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

*Hv. ry*

*acc 23*





CAUSA DE  
MONSTRATA  
TIVA

Dissertatio publicae

Sub Praesidio

CHRISTIANI DONATI

Log. & Met. Publ.

RESPONDENS

AUGUSTUS WOLFENS

Labejnus-Saxo.

In Auditorio Majori

Ad D. 8. Junii A. R. ch. sc. LXXIX.

Horis, locove conveniens

VITTEMBERGE.

Typis Christiani Schurigii, Acad. Typ.

1779





Cum Deo!

S. I.



Lurimum momenti ad solidam

scientiam comparandam Casuarum habere notitiam, unanimiter omnes fatentur philosophi, imprimisque princeps eorum haut una vice inculcat. Plane ac perfecte rem scire, inquam, censetur, quando causam, per quam res est, ita ipsius rei causam esse cognoscit, ut non pos-

se omnino rem aliter habere credat. Nam quod rem scire sit talis quippiam, quale dicimus, hoc argumento perspicere potest, quod omnes, qui aut revera sciunt, aut se scire putant, ob id aut sciunt, aut scire se existimant, quod rem ita se habere, uti diximus, aut revera, aut sua opinione cognoscunt. Itaque res, quae sub scientiam cadit, iam est certa, ut omnino aliter esse non possit. I. Post. Analyt. c. II. pag. (edit. Casanbon.) 76. G. Atque, Illud certissimum, ait, accuratissimumque, genus sciendi est, quo rei cuiusque causa investigatur. c. XI. p. 86. A. Et rursus: Quisque, inquit, censetur tum demum rem scire, cum est affectus causam. II. Post. c. XI. p. 103. E. Cumque loco horum primo, magis declaraturus idem illud suum assertum, dixisset: Illud nunc certum est, scire illum, qui per demonstrationem rem cognoverit; subjicit statim: Demonstrationem autem voco ratiocinationem, quae scientiam gignere ob id dicitur, quod illa animo comprehensa statim rem scimus. Si igitur id est scire, quod diximus, necesse est, demonstrativam scientiam ex his sumptionibus constare, quae & verae sint, & primae, & immediatae, & notiores, & prioris, denique, & causae conclusionis: nam si haec sint omnia, fiet,

A 2



ut accommodata sint ad id, quod demonstratur, principia. Quamquam enim possit esse ratiocinatio, ut simul hæc non sine omnia, in demonstratione tamen sunt necessaria: alioqui, ut rem sciamus, nunquam efficiet. In illo tandem explicationem hanc Demonstrationis finiens: Nam tum demum rem scimus, cum causam cognoscimus. Quamquam videri Aristoteles possit (sicut & multi interpretum monent, speciatim Zabarella in locum Aristotelis jam mox citandum p. 814) id non de scientia in universum, sed de scientia certi generis velle intellectum; dum postea, præsertim decimo capite primi Posteriorum, inter Scientiam, ac Demonstrationem Quod res sit, & Quamobrem res sit (ipse vocat eas ἡ ὄν, & ἡ δίων, indeque Peripatetici Quia, & Propter quid, itemque Quod est, & Propter quid est) distingvens, haut obscure illam in cognitione rei per effectum; & istam in cognitione per causam ponit: Scire (inter alia inquires) cur res sit, est primam cuiusque rei causam nosse. p. 84. Atque de hac quidem Causa demonstrativa, cuius in doctrina de demonstratione Peripateticis crebra, & ad nauseam usque, sit mentio, commentari nonnihil est animus, quod adjumento forsitan esse possit ad eo rectius dijudicanda, quæ alioqui satis perplexe, ac fuscè hoc loco disputari dialecticis solent.

§. 2. Principio igitur, quod ad Demonstrationem atinet, à qua causa ista suam denominationem habet, suffecerit hic annotasse, eam in genere tale genus argumenti esse, quo ex vero, certoque, ac infallibili principio, aliqua, ad id necessario consequens, deducitur conclusio. Græcè ἀπόδειξις dicitur, & συλλογισμὸς ἀποδεικτικὸς, nec non ἐπισημονικὸς, id est, argumentum, seu syllogismus demonstrativus, seu ostensivus, ac scientificus, itemque necessarius. (Pro opposito habens argumentum probabile, ac verosimile; quod syllogismus topicum, ac dialecticum alias appellant; uti notum.) Aqua proinde demonstratione Causa nostra demonstrativa nuncupatur, quia eandem ipsa persæpe ingreditur, inque illa res per istam demonstratur. Quod cum docere fori logici sit, etiam causa hæc logica inde salutari possit.

§. 3. Atque adeo jam primo omnium distingvendum hic inter Causam metaphysicam, seu productivam; & logicam, seu demonstra-



*monstrativam.* Differunt nempe, quod illa sit, qua quid produ-  
citur; ista, qua quid ostenditur, seu demonstratur, vel certe osten-  
di ac demonstrari potest. Priorem vocant alias, laxiori voce,  
(ad cætera, quæ ponunt, causarum genera comprehendenda) *Cau-  
sam rei, ac essendi, & in essendo, atque incomplexam*; posteriorem,  
*cognitionis, ac cognoscendi, & in cognoscendo, atque complexam.*  
Quarum quidem posteriorem unice præsentis instituti esse, ex di-  
ctis plus satis est perspicuum.

§. 4. Hanc ipsam vero nunc porro dirimimus in *illativam,*  
& *demonstrativam* specialiter sic dictam. Est nempe *Causa illati-  
va,* qua demonstratur, quod aliquid sit, hoc est, quod verum atq;  
certum sit id, quod aliqua propositione effertur ac continetur. Cu-  
jusmodi proinde quælibet propositio vera, ac certa, seu infallibi-  
lis est, ex qua alia necessario fluit, vel etiam actu argumentando  
deducitur; ipsumque adeo antecedens argumenti demonstrativi  
(quod in eodem, syllogistice proposito, Minoris plerumque locum  
occupat) vel etiam utraque illius præmissa. Quam causam in-  
telligi ab Aristotele nonnulli putant, quando is supra rationem  
scientiæ in causæ noticia ponebat, & demonstrativas propositio-  
nes causam conclusionis continere asseverabat. (Conferatur Gas-  
sendus P. III. Instit. Log. Canon. XVI. p. 116. Dn. Weigelius in Ency-  
clop. Mathematico-Philosoph. Sect. II. c. XII. p. 121. sqq. Dn. Pufen-  
dorius de J. N. & G. c. II. §. 2. p. 21.) Diciturque alias *Ratio, atq;  
Principium,* & cum apposito *Ratio sententiæ, atque Causa asserti.*  
Et habet quidem propositio, aliam necessario inferens, istius in-  
tuitu, causæ nomen; quoniam illius cognitio istius notitiam in  
animo, ab affectibus libero, causæ instar necessario gignit ac effi-  
cit. Vide, si placet, eam in rem plura subtiliter, pro more Scho-  
lasticorum differentem Hurtadum de Mendoza Disp. Log. XI. Sect.  
X. p. 210. & de Anima Disp. II. X. p. 105. nec non Philippum à SS.  
Trinit. P. I. S. Phil. Qv. XXI. art. III. p. 290. sqq. Quibuscum vero  
& conjungi meretur Dn. Weigelius l. c. §. 18. & sqq.

§. 5. *Causa autem demonstrativa* specialiter sic dicta est,  
qua speciatim demonstratur, cur, vel per quod, aut propter quod  
aliquid sit. Seu, est id, quo quæstioni propter quid apte respon-  
detur;



detur; quodque adeo querenti, cur, aut quamobrem, vel propter quid aliquid sit, causæ, vel rationis loco allegarum, satisfacit. Itaque definitur quidem hæc causa, spectata ratione sui usus, quem in docendo habet.

§. 6. Alias vero eadem in se sumpta est, id ipsum, quo necessario ad aliquid prærequisito, ac existente, etiam istud esse necessarium est, ad quod illud necessario prærequiritur.

§. 7. Quarum descriptionum, mediæ præsertim illustranda illud inservire potest, quod Aristoteles de diversitate quæstionum, quæ incidunt, ac tractantur in disciplinis, definiunturque certis argumentis, scientiam gignentibus, tradit. *Quæstionum*, inquam, *tot sunt, quot rerum, quæ sciuntur, genera. Quatuor autem generibus continentur omnes quæstiones: An ita sit, Cur ita sit, Sit, necne, & Quid sit.* II. Post. c. I. p. 98. A. Seu, ut ordine quem ipse Aristoteles postea indicat, & paulo explicatius dicam: quæ de re quavis, ac disputari solet: primo, An ea (qualicumque descriptione tantisper expressa) sit, ac num detur, vel existat, annon? tum, Quid ea sit, & ex quanam entium classe, aut genere? dehinc, Qualis ea sit, ratione suorum: seu essentialium, seu accidentalium, seu intrinsicorum, seu extrinsecorum prædicatorum; atque adeo speciatim, ac determinate (ratione hujus, vel istius prædicati) Sitne ita, annon? denique (si ita sit) Cur, aut quamobrem, vel undenam, aut ex qua causa ita sit? Quarum proinde quæstionum tertia quartam plerumque secum trahit; quemadmodum Aristoteles exemplo declarat, cum pergit loco adducto: *Cum enim querimus, sitne hoc aut illud, verbi gratia, an sol deficiat, annon; tum sit quæstio, an ita sit. --- Statim vero ubi invenimus, deficere solem, conquiescimus: & si jam ab initio sciremus, deficere solem, non quereremus, an ita sit. Postquam autem, quod ita sit, cognovimus, proximum est, ut, quamobrem ita sit, investigemus. Et postquam scimus, aut solem deficere, aut terræ motum fieri, tum deinde querimus, quam ob causam deficiat, & quæ sit terre motus causa.* Adeo ut jam per Causam demonstrativam id intelligamus, quod ad quæstionem propter quid recte expediendam dictâ ratione facit. Soletque ea ita alias ab isto, cuius



ijus causa est, in oratione discerni, ut hoc propter illam esse dicatur; & illa in propositione causali loco antecedentis semper, (mediante conjunctione causali quia) ponatur ac poni debeat; & hoc contra, loco consequentis

§. 8. Quod ut in aprium magis ponatur, e re erit, nonnulla ejusmodi causa exempla in medium afferre. Atq; ipse quidem Aristoteles, dum in hoc argumento versatur, verbi causa propinquitatem planetarum (ad terram) causam facit illorum, non-scintillationis. *Non enim, quia non micant planetae, ait, prope sunt, sed contra, quia prope sunt à terra, propterea non micant.* I. Post. c. X. p. 85. A. Globositatem lunæ, luminis in eadem accretionis. *Non est enim, inqviens, hujusmodi luminis accretio causa, cur globosa sit luna, sed contra, quia globosa est, hujusmodi semper luminis accessiones capere conspicitur.* ibid. Interpositum terra inter lunam & solem, defectus lunæ. *Quamobrem, ait, deficit luna? quia lumen eius terra interpositu obscuratur.* II. Post. c. II. p. 98. F. Rationem numerorum, quam inter se grave & acutum habent, horundem concentus. *Quam ob causam, inquit, concinunt grave & acutum? eo quod certam quandam numerorum rationem inter se habeant grave & acutum.* ibid. Est vero alias solemne dialecticis in doctrina de demonstratione, gravitatem lapidis ponere causam ejus descensus; levitatem ignis, ipsius ascensus; rationalitatem hominis, istius risibilitatis. *Quamquam sint, qui hanc risibilitatis præsertim demonstrationem risu ingenti excipiant.* Videatur inter cæteros Gassendus. L. Exerc. Paradox. Ex. V. c. V. & VI. T. III. Oper. p. 189. sqq. & Dn. Weigelius l. d. Sect. III. Membr. I. c. II. §. 10. p. 151.

§. 9. Sed prostant in physicis innumera alia istiusmodi causarum exempla; e quibus pauca adhuc, eaque minus abstrusa, memorare haut ingratum forsitan erit; aut supervacaneum. Sunt vero in iis, cum causa, quamobrem motus projectorum sensim remittat (ut initio velocior sit, sub finem tardior) dicitur esse infita projectis gravitas: quamobrem motus gravium descensus crescat subinde, & acceleretur; continuus iste aëris, corpori descendentis contigui, inque illius locum cum impetu identidem irruentis.



entis, impulsus: quamobrem lapis, è sublimi delatus, ac ius feriat, quam cadens ex humili; incrementum, seu acceleratio motus descensivi gravium in progressu; quamobrem corporum duorum, æque magnorum, atque gravium, unum quandoque segnius descendat, quam alterum; ipsa figurarum diversitas, seu minor majorve earum ad aërem secandum ac perrumpendum aptitudo: quamobrem in corporibus, ejusdem magnitudinis & figuræ, unum velocius, alterum segnius descendat; ipsorum major, minorve gravitas: quamobrem corporis ejusdem projecti pars una in descensu inum semper locum petat, altera superius relinquatur; gravitatis earundem diversitas: quamobrem aqua salsa, atque marina gravior sit, quam dulcis, ac fluvialis; diversa corpusculorum salinorum, & aqueorum gravitas: quamobrem gravia, aquis injecta, varie aut innatent, aut subsidant (ut nempe quædam tota sua mole ad fundum aquæ descendant, quædam tota demergantur, non tamen ad fundum usque descendant, quædam denique parte sui majore aut minore demergantur infra superficiem aquæ, nec deinceps descendant;) proportio gravitatis corporis, in aquam projecti, ad gravitatem aquæ, æqualis cum corpore injecto molis (quatenus nempe vel graviora sunt aqua, molis æqualis, vel sunt æqualis gravitatis cum aqua molis æqualis, vel denique leviora aqua molis æqualis, sic ut gravitas aquæ molis æqualis æquet gravitatem partis illorum, seu majoris, seu minoris;) quamobrem ex iis, quæ pingvia sunt, alia præ aliis ignem facilius concipiant; eo quod, quæ conclusa in iis hærent corpuscula ignis, non perinde obruta ac ligata sint, exsilireque facile queant: quamobrem calcis, carbonisque calor sit vehementior, quam flammæ; quia in illis igniculi magis sunt compressi, ac implicati, in hac magis explicati: quamobrem aqua calida, dum refrigerat, minor evadat; quod atomi caloris varie perrumpentes, exsilientesque, una abigant tenues aquæ particulas: quamobrem è tenebris, quæ sunt in luce, videantur, non tamen videantur, quæ sunt in tenebris; quoniam ab illis radii diffundantur, penetrantes locum obscurum, ab istis nulli; quamobrem vox intra ædificium sit longe resonantior, atque robustior, quam in libero aëre; quod ibi vox, ex totis par-



parietibus ac tectis resultans, aurem pluries tempore eodem im-  
perceptibili feriat, referatque: quamobrem vox melius ex infe-  
riore loco, quam ex superiore percipiatur; quoniam loca plura  
occurrunt, ex quibus reflecti vox possit, cum deorsum emittitur,  
quam cum sursum: quamobrem rem odoram naso admotam,  
diutile tenentes, aut in referto odoribus loco diutius degentes,  
odorem amplius non percipiant; propterea quod halitus corpus-  
cula, primum injecta, non statim regrediantur, sed nonnihil hæ-  
reant, ac paulatim vias oppleant, atque obturent, quo minus ea,  
quæ superveniunt, penetrare, & sensationem perficere possint: &  
sic porro. Ita nempe par erat, omnium illarum affectionum, quas  
sensu deprehendimus in rebus naturalibus, causam ac rationem  
reddere in physicis; minime autem dictas affectiones è suis cau-  
sis (quod quidem imperite bene multi Dialecticorum suis demon-  
strationum exemplis facere satagunt) demonstrare.

§. 10. Neque vero ista harum causarum doctrina sola sci-  
entia naturali continetur, quin diffundit sese etiam per discipuli-  
nas alias. Ut enim mathematicas ne attingam, (ac optacam spe-  
ciatim, quam constat ferme totam in variarum visus apparentia-  
rum causis exponendis esse occupatam;) suppetunt istiusmodi  
causæ sat multæ & in pneumaticis, ad res incorporeas pertinen-  
tes. Nam & ejusdem generis causæ existunt, quando ibidem con-  
ceptus primus, cum spiritus in communi, tum ipsius Dei, radix,  
origo atque fundamentum omnium attributorum, unumque; attri-  
butum principium & causa (virtualiter causans) alterius attribu-  
ti, e.g. simplicitas Spiritus; ipsius indivisibilitatis; indivisibilitas,  
immutabilitatis; immutabilitas, perennitatis; independentia Dei,  
ejusdem infinitatis; infinitas, absolutæ perfectionis; absoluta per-  
fectio, omnipotentia; & sic consequenter, esse perhibetur. Et  
quando circa divinam præscientiam disputatur, atque statuitur:  
causam futuritionis rerum non esse, aut divinam præscientiam,  
aut voluntatem; quin potius causæ, à qua quidvis futuri prove-  
niet, aduritionem (seu, quod causa illa actura, remque agendo pro-  
ductura est:) & ex adverso, causam divinæ præscientiæ ipsammet  
rei futuritionem esse. Nec porro metaphysici nomine Radicis, Cau-

B

fali-



salutatis, ac Fundamenti quicquam aliud, quam idem genus cau-  
sa intelligunt, quando radicem possibilitatis intrinsecæ (unde sci-  
licet aliquid habeat, ut sit, aut denominetur in se possibile) exclu-  
sionem prædicatorum contradictoriorum; extrinsecæ (unde ni-  
mirum aliquid habeat, ut sit alicui agenti possibile) ipsam possi-  
bilitatem intrinsecam: & contra impossibilitatis intrinsecæ, præ-  
dicatorum contradictoriorum inclusionem; extrinsecæ vero, ipsam  
impossibilitatem intrinsecam faciunt: & quando radicem neces-  
sitarum (unde nempe aliquid habeat, ut non possit plane non esse,  
adque adeo denominetur necessarium) pro varietate rerum nec-  
cessariorum, alias voluntatem Dei absolutam, alias causâ in agen-  
do indefectibilitatem: & contra contingentia, vel libertatem cau-  
sâ, vel ipsius defectibilitatem, ponunt: & cum causalitatem causâ  
(per quam scilicet aliquid sit, vel fiat actu causa) influxum, ac spe-  
ciatim actionem, seu effectus productionem, constituunt: & cum  
denique fundamentum relationis (seu causam & rationem, pro-  
pter quam aliquid ad alterum referatur, sitque adeo relatum, seu  
respectivum, ac relativa denominatione gaudeat) varium pro va-  
rietate relationis ponunt, atque asserunt. Nec denique huc non  
pertinet, quam Theologi nostrates causam damnationis proximam  
& adæquatam (incredulitatem nempe finalem) faciunt.

S. II. Notanter autem dixi *proximam*, & *adæquatam*. Ita  
enim communiter alias ipsa illa causa demonstrativa discriminis  
gratia appellatur: *proxima* nempe, ac *immediata*, quia inter eam,  
& effectum (seu id, cujus causa dicitur) nulla alia intercedit; &  
*adæquata*, quia cum effectu retrocurrit, sic ut eadem posita, ponat-  
ur effectus, negata negetur. Pro quo vero Aristoteles eam *primam*  
*causam* nominat; (puta, quia ab effectu ad illius causas a-  
scendendo primo omnium nobis occurrit:) *Scire*, inquit, *cur*  
*res sit, est primam cujusque rei causam nosse*. I. Post. c. X. p. 84. Et  
mox propinquitatem stellarum errantium vocat *primam causam*  
earum non scintillationis. Ac L. II. Phys. c. III. *Cum hæc perim-*  
*etatio*, ait, *sciendi sit causa, scire autem unumquodque non prius pu-*  
*temus, quam circa unumquodque propter quid est capiamus (id au-*  
*tem est primam accipere causam) patet, & à nobis hoc esse agendum*  
Et. p.



Ec. p. 206. B. Itemq; *reciprocam*, & quæ *retro commeat cum effectu*. I. Post. c. X. p. 84. Conimbricenses vero eam *propriam* appellant. Comment. in h. l. Qv. I. art. III. p. 645.

§. 12. Præter quam ponitur jam quoque (ipsi opposita.) *Causa remota*, seu *mediata*, ac *inadaquatata*, item *impropria*, ac *non-propria*: quam vocant, inter quam & effectum alia intercedit, sic ut ea quidem posita, non tamen statim effectus ponatur. Estque duplicis generis: alia, quæ & ipsa ad effectum necessario prærequiritur; alia, quæ minus. Aristoteli dicitur *medium longius petitum*, & quod *non reciprocatur cum extremis*, sequens generis prioris exemplum alleganti: *Veluti si parietem, ait, non respirare ostendatur, quia non sit animal.* Nam si hæc sit non respirandi causa, necesse est, ut vicissim animal sit respiracionis causa: nimirum quia necesse est, si est negacionis causa negatio, ut etiam affirmacionis causa sit affirmatio: exempli causa, si calida cura frigidis non apte convenire, id efficit, ut bene valeamus, illa certe erit ut bene valeamus causa, calidorum cum frigidis convenientia: sed e contra, si est affirmacionis causa affirmatio, & negacionis causa erit negatio. In illis autem verbis, quæ accepta sunt, non ita res habet, propterea quod non omne animal respirat. I. jam cit. p. 85. D. Cujus & illud procul dubio foret, si quis peccatum, in genere, quod causam meritoriam damnacionis faciunt Theologi, in oppositione ad superius memoratam proximam ac adæquatam causam, remotam ac inadæquatam dicere aliquis veller. Subjicit vero mox philosophus & alterius generis exemplum, cum pergit scribere: *Sunt autem propemodum similes hæc cause iis, quæ ita reddi solent, ut in illis quasi hyperbole quædam contineatur: quod quidem tum fit, cum longissime remotum à re medium accipitur.* Hujus generis est illud *Anacharsidis*, apud *Scythas tibicines non esse, quia illis vires non essent.* Suntque ejusdem, quando somni cause remota musica, silentium, tenebræ, quies, lassitudo, balneum, cibus atq; potus (uti proxima, influxus spirituum animalium in organis negatio) esse dicuntur. Quo porro spectat & Ratio causandi, quam in causis ponunt metaphysici (quo nempe aliquid aptum est, ut sit, vel fiat causa) & Ratio fundandi, quam

B 2

in re-



in relationibus, tanquam fundamentum earum remotum (quo scilicet aliquid aptum est, ut possit referri ad aliud, fieriq; relatum, aut respectivum quid.) Enimvero quoniam his causis positis, non necessario effectus ponitur, atq; adeo illa ineptæ, ac insufficientes ad effectum (seu id, cujus causa dicuntur) demonstrandum sunt; minime quidem eæ ad causas nostras demonstrativas pertinent.

§. 13. Quamquam terminus *causa remota*, & *inadequata* obnoxius sit ambiguitati, & quandoque paulo aliter uterq; capiatur. Quippe alias *causa remota* (generis demonstrativi) eam notat, quæ quidem ipsa effectum necessario ponit, sed mediante tamen causa alia. Uti cum in pneumaticis simplicitas Spiritus dicitur causa remota (& indivisibilitas, proxima) immutabilitatis, vel, indivisibilitas causa remota (& immutabilitas, proxima) perennitatis, &c. in metaphysicis communicationis proprietatum causa proxima communicatio essentiæ seu naturæ; remota, ipsa unio: in physicis aquæ è fonte laticæ causa remota, maris aut fluvii vicini (unde illa derivatur) gravitas, (proxima, aquæ fontanæ à maris vel fluvii vicini gravitate facta pressio.) Similiter, & *causa inadequata* nonnunquam idem, ac partialis est, in torali, seu adæquata contenta. Veluti cum in theologia naturali æternitatis Dei principium independentia & immutabilitas divina conjunctim ponuntur. Aut, cum in physica docetur, causam, quamobrem è profundissimo puteo conspiciantur interdum stellæ, quæ tamen videri è loco aperto nequeant, hanc duplicem esse; & quod pupilla tum satis dilatata, & retina à diurna luce jam libera, seu non compressa sit, ad quam proinde copiosiores subingredi stellarum radii sculi, visionemq; perficere queant; contra ac se res in loco aperto habeat. Quæ quidem causæ, tanquam vel præsuppositæ à causa proxima & adæquata, vel in eadem contentæ, non possunt simpliciter à demonstrativis excludi; etsi de se, propter sui cum effectû, vel tantum remotam, vel saltè partialem connexionem, solum imperfectam demonstrationem gignant.

§. 14. Patet verò ex hæcenus allegatis causæ demonstrativæ specialiter sic dictæ exemplis, quod ea alias in modum simplicis termini (sed complexi plerumque) alias vero in modum integræ præpositi.



positionis, sicut & ipsi respondens effectus, efferatur. Ubi quidem  
putare haut oportet, quasi propterea causa demonstrativa, qua talis,  
res quædam incomplexa sit, nudumq; propositionis extremum. Ne-  
que enim ex nudo termino aliquid unquam sequitur: sed sequitur  
non nisi integrum assertum ex integro asserto. Et quando quidem  
aliquis terminus assumitur, ad conclusionem inferendam, vel pro  
eadem illata allegatur; tum ille semper ad conclusionis præmissa  
subjectum refertur, cumq; eo mente (sub ratione propositionis im-  
plicitæ) conjungitur; uti latius in Arte nostra syllogistica §. 356.  
359. 378. est expositum. Jam autem nec potest quicquam alterius  
causa demonstrativa specialiter sic dicta esse, ac demonstrare, quam-  
obrem aliquid sit, nisi in simul causa demonstrativa generaliter sic  
dicta sit, ac demonstret, quod id ipsum sit; atq; adeo integra propo-  
sitionis, idem hoc inferens, existat. Uti enim  $\tau\delta$  quamobrem aliquid  
sit, semper supponit  $\tau\delta$  quod sit: ita oportet, ut quod prius demon-  
strat, etiam potius evincat. Unde adeo etsi quandoque causa de-  
monstrativa specialiter sic dicta simplici efferatur termino; semper  
tamen ea, res quædam complexa, integrumq; assertum est, liquido  
tum quidem appariturum, si non ad nudam ejus apprehensionem,  
quin positionem (quam flagitat demonstratio) exprimendam ipsius  
termini disponantur, ac formentur. Quam rem binis exemplis,  
(altero, quod primum §. 9. erat; altero, quod sequenti) declarasse,  
hoc loco suffecerit. Dicitur nempe causa, quamobrem motus  
projectorum sensim remittat (aut remissionis motus projectii) esse  
in se insita projectis gravitas. Ubi perspicuum est, rem demonst-  
randam esse: quod motus projectorum sensim remittat; aut, quod mo-  
tus projectorum in principio velocior sit, sub finem tardior; vel,  
quod projecta in principio moveantur velocius, sub finem tardius:  
quod nemo non integram propositionem esse agnoscit. Quæ vero  
non demonstratur ex gravitate (projectorum) in se & absolute sum-  
pta; sed spectata, prout projectorum est, seu ut projectis inest, atq;  
competit, hoc est, ex eo, quod projecta (quæ moventur in principio  
velocius, sub finem tardius) insita gravitate gaudeant, qua deorsum  
subinde nitendo, motum, quem patiuntur, violentum sensim magis  
magisq; imminuunt: quam rursus constat integram esse propo-  
sitionem.



ouem. Similem in modum, cum simplicitas spiritus, ejusdem indivisibilitatis causa esse perhibetur; nihil aliud certe innuitur, quam propterea spiritum indivisibilem esse, quia (spiritus) simplex sit; quæ itidem duo integræ asserta esse, in propatulo est positum. Itaque plane & in cæteris se res habet.

§. 15. Quanquam igitur jam in eo *Causa illativa*, ac *Demonstrativa* specialiter sic dicta conveniant, quod utraque integra sit propositio, alteram necessario inferens: hoc tamen notabili *discrimine* invicem discernuntur, quod prior earum, qua talis, tantum inferat consequens, seu id, cujus causa dicitur; posterior, non solum inferat consequens, sed & unde istud sit, simul declaret: quodq; adeo illa tantum cognitione prior sit suo consequente; ista semper natura prior, & contra plerumq; (tum nempe, quando consequens ex sensu constat, atq; per se notum est) cognitione posterior: & quod denique posterior necessario ad suum consequens prærequiratur; prioræ saepe ipsa suum consequens prærequirit.

§. 16. Neq; vero putandum, quasi nihilominus *Causa hæc demonstrativa* specialiter sic dicta prædicati loco semper contineat *causam productricem* effectus, in consequente prædicati loco positi. Nec enim recordor, mihi, haut oscitanter alioquin eam rem perquirenti, ullum ejuscemodi occurrisse hæcenus exemplum. Ac certe cum nostris quidem, modo adductis rem aliter multo comparatam esse est evidens. Ibi enim, sicut in consequente, (seu eo, cujus aliquid causa esse dicitur) loco prædicati, aut in ipsius complexione, alias mera negatio, alias privatio (quem effectum negativum, ac privativum vocant, sub ampliori vocis acceptione) alias modus rei, quandoq; realiter, interdum ratione tantum à subjecto distinctus, idemq; vel absolutus, vel respectivus, alias complexum quid, ex positivo ac privativo mixtum, alias denominatio mere extrinseca ponitur: ita ex adverso ipsum antecedens, seu causa (propter quam aliquid esse dicitur) prædicati loco, aut in eodem saltem id exhibet, ac involvit, quod vel principium quo agentis est, vel certus istius principii, agendive modus, vel ipse agentis actus, vel principium impediens, vel quodcumque medium, vel causa sine qua non, vel deficiens, (tanquam aliquis defectus, aut negatio) vel impulsiva, vel virtuali-



qualiter causans, vel aliqua tantum denominatio extrinseca, vel connotatum termini, aut istiusmodi. Talia enim ita maxime comparata esse possunt, ut, iisdem positis, seu competentibus suo subiecto, etiam aliquid aliud, natura posterius; poni, ac competere suo subiecto (seu eidem cum priori, seu diverso) sit necessum. Quæ si quis forsitan & ipsa seorsim causa, & effectus nomine dignari velit, me quidem repugnantem non habebit; dummodo is causam demonstrativam incomplexam (sic enim nominanda distinctionis gratia foret) sibi vendicando, nostram quam tradidimus, complexam nobis relinquat.

§.17. Atq; de hac Causa demonstrativa (complexa) eiusque respondente effectu, intelligenda sunt bina illa effata philosophica: *Posita causa, ponitur effectus; & Negata causa, negatur effectus*: quippe quorum uti prius exprimit ipsum posterius causæ hujus (supra §.6. descriptæ) requisitum; sic posterius ex ipsius priori requisito immediate fluit. Adeo ut præter rem ea ad se tracta, deq; causa productrice ac incomplexa, atq; huic respondente effectu intellecta, sub regularum nomine proponant metaphysici. Qui propterea & frustra se torquent in tali eorum sensu constituendo, sub quo verba illa sint; (volunt namq; regulam priorem, alias de causa saltem particulari, atq; proxima, itemq; de sufficiente, nec non naturali seu necessaria, ac non impedita; alias vero ita præcise intellectam, quod posita causa in actu, vel in esse causæ, aut in esse relativo, ponatur effectus in fieri, vel in esse effectus, aut in esse relativo: & posteriolem, quod negata causa quoad actum secundum, seu quoad esse causæ, negetur effectus in esse effectus, seu in fieri; & negata causa quoad esse absolutam, negetur effectus in esse effectus, seu in fieri) sed quem tamen ipsa eorum verba de se nec gignunt, neque admittunt.

§.18. Idemq; hoc causæ genus illud procul dubio existit, in cuius contemplatione ac notitia Aristoteles supra (locis §.1. adductis) τὸ ἐπιτελεῖσθαι ἀπλῶς, scientiam simpliciter sic dictam, & ἐπιτελεῖσθαι ἐν εἰδέναι, accuratissimum genus sciendi, ponebat; etsi communiter ejus interpretes, cum reliqua Dialecticorum turba, causæ hujus logicæ ignari, ad metaphysicam hic dilabantur; uti §.24. pluribus dicitur.

§.19. Adeo



§. 19. Adeo ut jam præcipua illa, ac specialiter sic dicta *Scientia* recte dicatur, quod sit, qua cognoscimus rem per (istiusmodi) suam causam: seu, qua novimus, quænam sit rei causa; aut, quamobrem aliquid sit: hoc est, cum partim id in se novimus, quod ad alterum necessario exigitur, & quo posito, seu existente, etiam id poni, seu existere necessum est, ad quod ipsum exigitur, (juxta descriptionem §. 6. constitutam,) partim quoque hoc, ipsum illud esse, quod exigitur, necessario ad alterum, & quo posito, seu existente, etiam alterum illud poni ac existere sit necessum.

§. 20. Equidem Toletus, haut ignobilis Philosophiæ Peripateticæ interpret, in I. Post. c. II. p. 296. *Tria*, ait, secundum Averroëem hic petuntur, ut scire dicamur: primo, ut rei causam cognoscamus, talem autem causam, ut sit causa in esse, & non solum causa cognitionis, quomodo fumus posset dici causa ignis, quia per eum ignem cognoscimus: hæc autem causa, qua necessaria est ad scientiam, debet esse causa etiam esse rei, ac ob id dicitur; propter quam res est. secundo, ut talem causam effectui applicemus, id est, sciamus, hujusmodi causam illius rei esse causam: si enim causam rei cognoscere-  
mur scire, tertio, quod non contingit aliter se habere. Illud mox circa tertium hoc requisitum adjiciens: Philoponus melius exponit, nempe, non est contingere aliter se habere, id est, non potest res absq; tali causa esse, nec similiter poni causa, quin talis sit effectus. Hæc igitur necessaria sunt, ut scientiam consecuti dicamur. Itaque & plurimi alii Dialectici, ductum descriptionis Aristotelicæ, in principio §. 1. allegata, secuti docent. Verum enim vero præterquam quod Toletus impertinenter ad primum requisitum addat, causam hic intelligi, non cognitionis, sed rei: tertium sane requisitum, ipsi hic additum, jam tum in secundo, eidem constituto, involvitur; quippe cum (per definitionem causæ) fieri non possit, quin eo ipso, quo cognoscimus aliquid, causam alterius esse, in simul cognoscamus, nec posse rem absq; tali causa esse, nec similiter poni causam, quin talis sit effectus, ut ipse loquitur. Unde relinquitur, sufficere hæc duo ad illam scientiam requisita: primo ut sciamus, rei causam, seu id, quod rei causa est: deinde ut sciamus, illam ipsam esse rei causam



causam (juxta utriusque explicationem præcedente §. inculcatam;) ac tertium saltem cujusdam ἐπιζητήσεως causa Aristoteli in proposita ejus definitione addi.

§. 21. Itaque jam vidimus, quidnam sit causa demonstrativa, quamque magni ea philosophis putetur, & quantopere commendetur omnibus illius scrutinium, atque cognitio. Nunc igitur, quomodo ea investigari circa unamquamque rem, quam contemplerur animo, quin & probari & ostendi ambigenti possit, verbo erit hic annexendum. Fieri nempe hoc utrumque citra erroris periculum potest, si juxta ductum traditæ illius definitionis procedentes, dispiciamus primum, quidnam forsitan & prærequiri necessario ad rem propositam, & eandem, ubi ipsum ponatur, necessario secum trahere intelligatur; tum vero, hoc invento, declaremus, quomodo istud & prærequiratur necessario ad rem propositam, eoqueposito, seu existente, etiam istam poni, seu existere sit necessarium. Horum enim altero peracto, nobismet ipsis scrutantibus; altero, aliis quærentibus, aut dubitantibus, procul omni dubio satisfecerimus.

§. 22. Quamquam haut raro & exinde aliquid causam rei probari videas: vel quod alia in promptu non sit, quam allegare causam rei quæsitam possis; vel quod, quæ alias causæ haberi aliis solent, pro genuina putari aliunde minime queant. Enimvero nisi aliud extet dogmatis argumentum, saltem probabilem tum adferri causam memineris, demonstrativæ analogam: quæ contentos tamen interea nos sæpenumero esse oportet, donec genuina fuerit undecumque inventa, aut cognita. Utique nec diffitentur hodie præstantissimi physicorum, qui quidem se metiuntur suo ingenii modulo, etiam quas ipsi inculcant rerum naturalium causas, utut curiosius à sese quæritas, vix nisi probabiliores esse putandas; cum tam abstrusam naturæ rationem esse sciant, atque agnoscant, ut etiam aliter sese, quam opinentur, res habere in quam plurimis possit. Itaque jam illa tantum *Probabilis causa* existit, quam vel probabiliter saltem præexigi ad aliquid, vel id ipsum tamen non necessario secum trahere, deprehendamus.

§. 23. Sed ut missa hac, ad Demonstrativam (quam hic attendimus præcipue) regrediamur: dictum jam supra §. 2. eam sic appellari,

C

pellari,



pellari, quod per ipsam aliquid demonstretur, aut certe demonstra-  
ri queat. De quo proinde Demonstrationis genere nunc sequitur  
aliquid exponendum. Notum vero est, indicatumque ipsa statim,  
prima fuit §. id (ex loco Aristotelis ibidem adducto) *Demonstrati-*  
*onem τὸ Διόλου*, seu *Propter quid*, (atque alias Demonstrationem  
à priori, ac primariam) nuncupari: atque hanc ipsam in eo à *De-*  
*monstratione sibi opposita τὸ Ὅτι, Quod*, seu *Quia* (item à postero-ri, & secundaria dicta) discerni, ut illa ex causa effectum; ista con-  
tra ex effectu causam demonstrare dicatur: hoc insuper adjecto,  
quod in illa, causa proxima ac immediata præcise intelligatur; ad  
istam vero & ea pertineat, quæ demonstrat effectum ex causa sal-  
tem remota.

§. 24, Cumque jam Stagirita L. II. Post. c. XI. omnia cau-  
sarum genera (quæ quatuor ponit, materiam, formam, efficien-  
tem, & finem) pro medio adhiberi in demonstratione affirmet: di-  
ci non potest, in quam varias, quamque profundas atque contortas  
dogmatis hujus, ad id salvandum, aut in crustandum potius, dila-  
bantur communiter explicationes; quas satis habeas, si qualiter-  
cunque capere, nedum assequi plene, ac dijudicare omni ex parte  
possis. Dabo tamen paucis, quid ferat (quantum mihi advertere  
licuit) plerorumque, eorum præsertim, qui breves ac perspicui  
esse amant, sententia. Video nempe in eo omnes convenire, ut  
non promiscue quamvis cujuscunque generis causam aptam de-  
monstrationi propter quid signandæ dicant; sed eam tantum,  
quæ quæstioni propter quid satisfaciat; quaque adeo posita, non  
possit non & ea res poni, cujus causa dicitur. Ad quam proinde  
(ex metaphysica) magis determinandam aliqui observant: intelli-  
gi hoc loco *causam proximam*, non in certo genere, sed *simplici-*  
*ter talem*, (ex quocunque etiam genere fuerit.) Cujus declaratio-  
nis se primum auctorem Zabarella prædicat. L. de Specieb. Demon-  
strat. c. XXI. p. 462. & sq. *Quoniam autem*, inquit, *dictum à*  
*nobis est, demonstrationem propter quid ex proxima rei causa fieri*  
*non est ignorandum quoddam summa annotatione dignum, licet*  
*à nemine hætenus declaratum: non est enim pingvi Minerva in-*  
*telligendum, quam sit causa proxima, & quæ remota; quæ in re*  
*plurimi*



plurimi errarunt, & demonstrationem quod à demonstratione pro-  
pter quid internoscere nequiverunt; cuius quidem rei ignorantia  
multorum errorum causa fuit. Causa igitur proxima dupliciter  
accipi potest; aut enim simpliciter proxima effectui dicitur; aut non  
simpliciter, sed genere suo: quod sensili hoc exemplo clarius fiet. Pa-  
dit aliquis in forum, & videat amicum, si quis igitur quærat; cur  
in forum vadis: potest ille respondere: quia sum animatus; & in  
causam asseret effectricem, remotam tamen; quia anima est causa  
remota illius ambulationis, quum alie sint cause effectrices propin-  
quiores effectui; ut spiritus vitales, qui moventur ab anima; &  
membra instrumentalia, quæ moventur à spiritibus, ut pedes: ergo  
si statuamus, pedes esse causam effectricem illius ambulationis pro-  
ximam ipsi effectui, quæ non deitur alia propinquior, ea tamen alia  
ratione non est causa proxima, nam respectu quidem aliarum sui  
generis proxima est, nempe ut effectrix: at simpliciter non est pro-  
xima; etsi enim in genere cause effectricis non datur alia propin-  
quior, at tamen in alio causa genere aliam propinquiore ille effe-  
ctus habet, scilicet causam finalem, quæ est visio amici in foro: hæc  
enim causa est, cur anima moveat pedes, & pedes eum hominem in  
forum ducant: propterea in libro nostro de Medio demonstratio-  
nis ostendimus, unius rei unam esse causam, quæ possit appellari cau-  
sa propter quam res est, & satisfaciat quæstioni propter quid est:  
hæc enim non est nisi illa, quæ non solum in genere suo, sed simpli-  
citer quocumque proxima sit; reliquæ enim omnes dicuntur remotæ, &  
effectui ampliores sunt, nec per eas demonstratur nisi quod, etiam si  
in suo genere proxime sint: pedes namque, & illius ambulationis, &  
aliarum plurimarum causa sunt; & pedibus positis, non ex neces-  
sitate ambulatio illa ponitur: sed particulare illud amici videndi  
desiderium est causa adequata (sic enim, pro æquata, legendum pu-  
to) illius ambulationis, quæ alias causas remotiores ad effectum il-  
lum contraxit. Manifestum est igitur, quod licet res aliqua possit  
habere quatuor genera causarum, & in singulo genere causam sibi  
proximam, proinde quatuor proximas; una tamen ipsarum tan-  
tummodo est simpliciter proxima, tres autem reliquæ non simplici-  
ter, sed in genere suo proxime sunt: ideo per eam solam demon-  
stratur



*stratur propter quid est.* Nonnulli tamen causam hanc proximam saltem ad *efficientem*, & *finem* restringunt; materiae, & formae locum in demonstratione haut relinquentes, nisi quatenus rationem efficientis per emanationem, vel etiam finis habeant. Vid. inter ceteros Zabarella L. II. de Med. Demonstr. c. VI. p. 591. sqq. Hornejus in Inst. Log. L. V. Qv. XII. p. 569. Heereboordius in Instit. Log. L. II. c. XX. Qv. V. p. 257. Schoockius in Colleg. Log. Disp. XIII. th. 13. p. 425. Sed contra alii *causa* vocem hic paulo *laxius* accipi moment, quam fieri ceteroquin in istis quatuor receptis causarum generibus, aut speciatim efficiente solet; & ad id etiam extendi comprehendendum, quod *causa* (in rigore sic dicta, & quidem efficiens) sit saltem *analogon*. Ita enim Scheiblerus, peritissimus artis dialecticae, diligentissimusque scriptor, cum in scientia hac explicanda versatur, *causam hic sumi aequipollentur ad principium*, ait Oper. Log. Tract. Syllog. cap. XV. n. 96, simul ad praecedentia illa provocans, quum dixisset n. 41. *Non omnia demonstratio fit ex causa regide loquendo, hoc est, quae sit propria dicta efficiens, vel materia, vel forma, vel finis.* Et n. 44. *Atq; hinc fit, ut principia incompleta, quae ad scientiam, & demonstrationem requiruntur, ponantur esse duorum generum. Alia nempe sunt vera causa, alia autem solum sunt rationes, quae concipiuntur, ut causa passionum, veram tamen rationem causa non habent, sed ad summum sunt principia, ex quibus passiones demonstrantur, & sciuntur de subjecto, ut perinde sit ad rationem scientiae & demonstrationis, sive huius, sive illius generis principia habeantur.* Id quod non solum Toletus, Svarez, ac Conimbricenses, ibidem citati, sed & ceteri omnes, quotquot scripsere de Demonstratione, utut sub diversis terminis, inculcant: distinguentes modo inter causam in rigore; & analogice sic dictam: alias inter causam in se, vel ex natura rei; & quoad nos, seu virtualem: quanaoqve inter causam physicam, seu formaliter sic dictam; & metaphysicam, seu virtualiter talem: nonnunquam inter causam realem, seu actualem; & virtualem: plerumque vero inter causam realiter; & virtualiter causantem: perque priorem causam intelligentes, quae ab effectu realiter distincta, eundem reipsa causat; per posteriorem, quae ab effectu



fectu tantum ratione differens, eum solum quâ modum concipiendi nostrum imperfectum causet. Hac nempe, aliaque multa commentandi, ac disputandi ansam philosophis dedit Aristoteles, dum mentionem causæ in demonstratione, ac scientia faciens, aut ignoravit prorsus causæ logicæ à metaphysica differentiam, aut certe eandem ibi non exposuit. Quibus vero omnibus facile nos superfedere posse intelligimus; dummodo eam, quam docuimus, diversitatem teneamus, ac observemus.

§. 25. Cæterum non pauca sunt, quæ desiderare speciatim circa superius adductam Demonstrationis divisionem possis. Primum enim gratis in ea supponitur: omne argumentum, seu (ut loqui amant) syllogismum ex tribus præcise terminis constare: horumq; medio ipsam vim concludendi inesse; & eum esse in quolibet argumento, vel causam prædicati conclusionis, seu (ut nonnulli volunt) connexionis prædicati conclusionis cum subjecto, vel effectum: itaq; demonstrationem omnem, vel ex causa demonstrare de subjecto effectum, vel ex effectu causam: harumq; posteriorem demonstrare saltem, quod res sit; priorem, quam obrem res sit: & quæ sunt id genus alia. Siquidem certum contra ex exemplis, passim obviis, (dudumq; mihi annotatis,) frequentiora multo esse argumenta, seu syllogismos, qui ex quatuor, quam qui ex tribus saltem, constant terminis. Neq; non occurrunt, etiam ex tribus saltem terminis constantia, argumenta, quæ æque ac prioris generis, apta non sunt syllogismo simplici construendo; & in quibus proinde tertium (itaq; & quartum, ubi adsit) à terminis conclusionis diversum, medium appellare haut liceat. Quiq; alias in simplicibus syllogismis ista denominatione gaudet, ipse quidem solus, in se. & citra sui cum minore conjunctionem sumptus, vim inferendi nullam habet; sed eam demum accipit, prout cum minore, seu explicite, seu implicite conjunctus integram propositionem constituit, ex qua, ceu principio cognoscendi complexo, integra demum conclusio fluat. Quomodo proinde acceptus medius terminus causa connexionis prædicati cum subjecto conclusionis, seu illius ad istud competentia, non minus in Demonstratione  $\tau\lambda\ \delta\omega\pi$ , quam  $\tau\lambda\ \delta\iota\omega\pi$  est. Nisi quod tamen idem, uti dicta ratione sumptus, in utraque Demon-



stratione causa est, quod prædicatum conclusionis in fit subjecto, seu eidem competat; ita specialiter in Demonstratione  $\tau\delta$   $\delta\iota\acute{o}\nu$  & causa dici queat, cur, aut quamobrem prædicatum in fit subjecto, aut eidem competat. Tum autem, etsi negari non possit, persæpe in demonstrationis antecedente contineri effectum, vel subjecti, vel prædicati conclusionis; & non raro etiam causam prædicati conclusionis, vel saltem ejus, quod in prædicato conclusionis involvitur: tamen id perpetuum non est; quin antecedens ita plerumque est comparatum, ut nec causam illius, quod conclusione comprehenditur, nec effectum contineat; id quod ostendere mihi in proclivi esset optimorum argumentorum, ex ipsis disciplinis petitorum, exemplis, si id ferret instituti præsentis ratio, ac facere lineis paucioribus liceret. Et quanquam denique Demonstratio  $\tau\delta$   $\delta\iota\acute{o}\nu$ , quam communiter tradunt, recte dicatur in antecedente  $\tau\delta$   $\delta\iota\acute{o}\nu$ , seu id propter quid aliquid est, allegare: non tamen statim demonstrat  $\tau\delta$   $\delta\iota\acute{o}\nu$ , seu quamobrem aliquid sit; sed saltem  $\tau\delta$   $\acute{o}\nu$ , quod aliquid sit: indeque non minus & ea demonstratio  $\tau\delta$   $\acute{o}\nu$  est, quam quæ alias sub hoc nomine ipsi opponitur. Sed hoc non obstante, licet tamen Demonstrationem  $\tau\delta$   $\acute{o}\nu$  generaliter sic dictam (quæ nempe demonstrat, quod res sit, vel non sit) in Demonstrationem  $\tau\delta$   $\delta\iota\acute{o}\nu$ , & Demonstrationem  $\tau\delta$   $\acute{o}\nu$  specialiter sic dictam sub hac differentia distinguere, ut illa dicatur, quæ ex causa; hæc, quæ ex effectu (puta ad ostendendum, quod res sit, vel non sit) procedit: dummodo non pro adæquata hæc venditur divisio. Ita enim rectius sane discernuntur istæ Demonstrationes, quam fieri alias vulgo solet: quasi prior demonstrat, quamobrem res sit; posterior saltem, quod res sit. Id quod bene observavit Burgersdicius in sua Synopsi Logica, quando L. II. Cap. XX. Qv. II. & III. Demonstrationem  $\tau\delta$   $\delta\iota\acute{o}\nu$ , seu cur res sit, definit, quod sit, *quæ non solum probat, rem esse, aut non esse, sed etiam reddit causam, cur res sit, aut non sit*; Demonstrationem  $\tau\delta$   $\acute{o}\nu$ , seu quod res sit, *quæ solum probat, rem esse, aut non esse*. Quem secutus & Heereboordius in sua Herm. Log. p. 255. sequentem huc adjicit notam: *Demonstratio  $\tau\delta$   $\delta\iota\acute{o}\nu$ , seu cur res sit, inquit, non ita dicitur, quia concludat  $\tau\delta$   $\delta\iota\acute{o}\nu$ , seu cur res sit; nam concludit tantum  $\tau\delta$   $\acute{o}\nu$ , seu quod res sit, sic*



sic tamen, ut in præmissis adferat  $\tau\delta$   $\delta\iota\acute{o}\lambda\eta$ , seu causam cur res sit: sed demonstratio  $\tau\tilde{\alpha}$   $\delta\iota\acute{o}\lambda\eta$  sic concludit, quod res sit, ut ne in præmissis quidem adferat causam, cur res sit. Idem vero & ante istum jam tum Schoockius, ante citatus, th. 9. l. d. p. 421. docuit: Demonstrationem  $\tau\tilde{\alpha}$   $\delta\iota\acute{o}\lambda\eta$  sic dici, ait, quia demonstrat rem esse solum; Demonstratio autem  $\tau\tilde{\alpha}$   $\delta\iota\acute{o}\lambda\eta$ , non quod  $\tau\delta$   $\delta\iota\acute{o}\lambda\eta$  concludatur, sed quia ita probat rem, ut in præmissis ponatur causa, cur prædicatum subiecto conveniat.

§. 26. Quanquam illud tamen verum omni ex parte non sit, quod mox addit Heereboordius: Ergo, inquit, Demonstratio  $\tau\tilde{\alpha}$   $\delta\iota\acute{o}\lambda\eta$ , seu cur res sit, sic dicitur, non ratione conclusionis, sed ratione præmissarum, quia  $\tau\delta$   $\delta\iota\acute{o}\lambda\eta$  in conclusione reperiri nunquam potest: significat enim causam, cur prædicatum conclusionis insit subiecto, ideoq; est terminus medius: at medium non ingreditur conclusionem; ut nihil sit mirum, nunquam inferri, aut concludi ipsum  $\tau\delta$   $\delta\iota\acute{o}\lambda\eta$ , est enim non id quod, sed id, quo concluditur. Nam et si in Demonstratione  $\tau\tilde{\alpha}$   $\delta\iota\acute{o}\lambda\eta$  ejus antecedens ipsum  $\tau\delta$   $\delta\iota\acute{o}\lambda\eta$ , seu causa sit, cur prædicatum conclusionis insit subiecto, aut cur res ea sit, quæ conclusione exprimitur: non tamen id statim sub eadem forma argumenti significat, cur prædicatum conclusionis insit subiecto, aut cur res ea sit, quam conclusio enunciat: quin infert solum, ac probat, quod prædicatum conclusionis insit subiecto, aut quod ea res sit, quam exprimit conclusio. Et licet porro etiam certum sit, terminum medium, qui datur in syllogismo simplici (quo nempe demonstratur ex causa, quod res sit) ejusdem illius simplicis syllogismi conclusionem non ingredi, nec ingredi posse: tamen nil obstat, quo minus is ingrediatur conclusionem talis syllogismi seu simplicis, seu hypothetici, qui inferat illius simplicis conclusionem, una cum ipsius causa demonstrativa, antecedentis loco ante adhibita, sub forma propositionis causalis, seu simplicis, seu compositæ. Veluti si ille syllogismus, quem loco exempli Demonstrationis  $\tau\tilde{\alpha}$   $\delta\iota\acute{o}\lambda\eta$  adfert hic auctor: *Omne rationale est capax scientiæ: Omnis homo est rationalis; Ergo omnis homo est capax scientiæ*; in hunc transformetur: *Quicquid necessario ad id requiritur, ut homo sit scientiæ capax, & quo proinde posito, etiam hoc*  
neces-



necessario ponitur; illud utiq; causa est, atq; ratio, quamobrem homo sit scientia capax. Jam autem rationalitas hominis, seu rō hominem rationalem esse, necessario ad id requiritur, &c: Ergo sane rationalitas hominis, seu rō hominem rationalem esse, est causa, atq; ratio, quamobrem homo sit scientia capax. Vel in istum: Si rationalitas praexigitur ad capacitatem scientia, eademq; in homine posita, necessario & ista ponitur; sequitur propterea hominem scientia capacem esse, quia rationalis est: est autem antecedens; ergo & consequens. Ubi sane utrobique rō dicitur, hominem rationalem esse, ipsam conclusionem ingreditur, cumq; eo, ad quod concludendum ante adhibebatur, una ipsum concluditur. Quod si fieri ceteroq; repugnaret; certe nec probare, aut ostendere syllogismo liceret, quod aliquid sit alterius causa demonstrativa: itaq; nec certi esse possemus, quod aliquid sit causa demonstrativa alterius; aut dicere, quod hic, vel ille syllogismus procedat à causa (demonstrativa) ad effectum; atq; adeo Demonstratio & dicitur (qualem describunt) existat.

§. 27. Ex quo fit & manifestum, nullum prorsus esse istud argumentum, quo, ceu potissimo, negat Ramus (annotante Scheiblero n. 13. l. c.) dari Demonstrationem & dicitur, ac causam demonstrativam: quia quaestio dicitur seu propter quid non possit syllogismo concludi, sed solum quaestio an sit. Quaestio enim, ait, & conclusio idem sunt. Jam conclusio cujuscunq; syllogismi est: rem esse, vel non esse. Ergo etiam quaestio, quovis syllogismo concludenda, est: an sit, vel non sit; non autem propter quid sit. Est enim quaestio propter quid non possit syllogismo simplici concludi, uti pleraeq; quaestiones, an sit: posse tamen composito, aut certe enthymematico (qui primam propositionem compositi, saltem consequentiae indicativam, omittat) jam constitit. Neque igitur conclusio cujuscunq; syllogismi est, rem esse, vel non esse: neque quaestio, quovis syllogismo concludenda, an sit, vel non sit. Quinimo uti quaestio in disciplinis per se est propter quid sit: ita quoque conclusio, eandem definiens, toties talis existit.

§. 28. Atque adeo jam illa potius Demonstratio, quae probat, aut declarat, quamobrem aliquid sit, Demonstrationis & dicitur nomen



nomen meretur; quam ea, quæ probat, aliquid esse ex eo, quam obrem id alias est. Nec tam posterior, Aristoteli, ac Peripateticis tradita, quam prior, usdem neglecta (sed facilis tamen ex illa confectus) ea est, quæ scientiam illam præcipuam, §. 1. descriptam, gignit. Neque enim tum statim scire dicimur, cum rem per causam ita cognoscimus, ut (saltem istius causæ positæ intuitu, & non habito simul respectu, quod ipsius causa sit) non posse omnino rem aliter habere credamus; hoc est, cum causa, per quam res est, posita, etiam ipsam rem simpliciter poni (per Demonstrationem §. *diōn*, Aristotelicam) novimus: sed quando (per Demonstrationem §. *diōn* nobis constitutam) rem ita per causam cognoscimus, ut & hanc ipsius rei causam esse, & non posse proinde rem aliter habere intelligamus, id est, quando causa posita, ut causa, etiam ipsam rem propter eandem poni determinate cognoscimus.

§. 29. Quamquam hæc Demonstratio, dictam Scientiam gignens, vix solet syllogistice proponi (ad eum modum, quo id docui, ante in exemplo.) Quin videas plerumque, aut allegari simpliciter causam rei quæsitam, aut simul doceri ac declarari, quomodo eadem posita, & ipsam rem inde provenire intelligamus. Quippe e quo tum in proclivi est, tacite conclusionem animo inferre, propterque causam allegatam ipsam rem esse pervidere atque cognoscere, ut nihil opus sit istiusmodi sapenumero radosa magis, quam fructuosa argumentatione syllogistica. Sic ut proinde vel sola illa causæ doctrina ac expositio, demonstrationem animo faciendam suggerens, instar demonstrationis §. *diōn*, scientiam præcipuam gignentis, haberi etiam queat. Sed id quidem omne, quod de proposito argumento, satis alioquin abstruso, atque perplexo, visum jam mihi fuit, dictum citra cujusquam perspicacioris præjudicium esto.

F I N I S.

Hoc dicit demonstrat ipse probatur adeo  
CHRISTIANUS DONATUS P. P.  
P. P.

Per



**P**er causam Res nosse Scientia dicitur omnis,  
Sed præter causam scire tuum nihil est.  
Est enim Sophia rerum cognoscere causas,  
Asopbus at causas negligit usq; rei.  
Tu pede felici Sophiae absolvere cursum,  
Mi VVOLFI, poteris, si bene pergis iter.  
**De CAUSIS DEMONSTRATIVIS** verba di-  
serta  
Nunc facis, & causas noscere rite cupis.  
Perge, tuis studiis PHOEBUS decernet Honores,  
Atq; DEUS Cœli mox benedicet eis.

JOHANNES Deutschmann/D.

**I**ngenium, Vitamq;ve Tuam, moresq;ve re-  
ferre  
Non opus est, VVOLFI, delictum So-  
phiae.  
Molimen præsens satis hæc monstrare vi-  
detur,  
Quod nunc intrepidè suscipis atq; paras.  
Non dixisse sat est, sed, quod sit curq;ve, pro-  
bâsse:  
Hoc quia demonstras, ipse probatus ades.

CHRISTIANUS DONATI, P.P.  
Fratris



**F**ratris ad exemplum componeris, optime  
Wolff,  
Huncq; Ducem sequeris, non sine laude,  
Tuum.

Disseris egregie, caute scis reddere verba,  
Ac multis palmam praripis arte Tua.  
Macte bonis studiis. Perge invigilare Camænis  
Aoniis, Phœbus premia larga dabit.

Paucula hæc Doctissimo Dno. Respondenti,  
Amico suo ob virtutes, eruditionemqve  
haut vulgarem conjunctissimo, appone-  
re debuit ac voluit

OPPONENS.

M. Henric. Severin. Bodinus,  
Wernigerod.

**E**in werther Jonathan / den reine Treue  
liebet /

Und ein ergebnen Sinn sein ander Au-  
ge nennt /

Nun / was die Schulden-Pflicht an schlech-  
ten Zeilen giebet /

Wenn ein geringer Dampf in Bey-  
rauchs-Körnern brennt.

Dein



Dein unverdrossner Fleiß sey tausend mahl  
beseget/

Es stöhre deine Kunst kein ungesünder  
Nard/

Wenn zarter Perlen-Thau auf deine Schei-  
tel regnet/

So stehest du vergnügt am stolzen Sie-  
ges-Port.

*Pauca hæc in honorem Doctissimi Dn.  
Contubernalis apponere voluit,  
debit*

**Joh. Henr. Rudorf, Duderst.**  
SS, Theol. & Philos. Stud.





FF III

ULB Halle 3  
003 266 753




A

VD77


Retro











30<sup>20.</sup>

De  
**CAUSA DEMONSTRATIVA**

Disputabit publice

Sub PRÆSIDIO  
**CHRISTIANI DONATI,**  
Log. & Met. Prof. Publ.

RESPONDENS  
**AUGUSTUS WOLFIUS,**  
Lœbejunâ-Saxo.

*In Auditorio Majori,*  
*Ad D. 8. Junii A. Ær. clc LXXXIX.*

ad.

Horis, locoqve confvetis.

-----  
VITEMBERGÆ,  
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

*H. ry*

*au 23*